

Kgl. Bugenhagen-Gymnasium

zu


Treptow a. R.



INHALT:

1. Abhandlung des Oberlehrers Dr. Richard Klotz: Animadversiones ad veteres Vergilii interpretes.
2. Schulnachrichten vom Direktor Dr. Kälbe.

Treptow a. R. 1893.



1893. Progr.-No. 149.

Druck von Richard Marg in Treptow a. R.

Kgl. Bayerische Gymnasien

Vertrag

1888

Animadversiones ad veteres Vergilii interpretes

scripsit

Dr. Klotz.

Disputaturo mihi de veteribus Vergilii interpretibus hodie non iam sicut ante hos decem annos cum Quaestionibus Servianis ¹⁾ conscriberebam, opus est disserere de quaestione illa Serviana, ut ita dicam καὶ ἐξοχόν, scilicet utrum scholia a Petro Daniele anno 1600 primum edita ipsi Servio sint tribuenda necne. Actum enim iam est, opinor, de ea quaestione, neque quisquam post ea, quae Thilo ²⁾, Thomas ³⁾, Georgii ⁴⁾, denique ipse disputavimus, dubitabit, quin scholia illa Servianis adnexa ex antiquiorum Servio commentatorum libris maximam partem sint hausta et quin Serviana ipsa adeo non sint misere dilacerata et mutilata, ut contra plena sint et optime servata. Nam quod unum alterumve Servii scholion fortasse est brevium aut omnino perit, id cum in tantae amplitudinis tum in huius generis libro minime videtur mirandum, quippe qui constat ex tot singulis annotationibus, adscriptis sine dubio saepius versibus Vergilianis in margine codicum. Ut vero via ac ratione inquiri possit in Servii fontes, sane summi est momenti, censeamusne eius commentarium non mediocres iacturas fecisse, quod vult Thomas ⁵⁾ an plerum esse iudicemus. Ad disceptandam hanc quaestionem vix est quod moneam multum valere eos Serviani commentarii locos, in quibus ille iam supra se quaedam dixisse adfirmet. Quorum numerus cum sit maximus — sunt fere quadringenti — sane eorum sententia, qui Servianum textum non mutilatum aut circumcisum existiment, magna ex parte fulcitur, ubi demonstrabitur, ea quae supra se dixisse Servius moneat, legi in antecedentibus. Quamquam Thilo huic adstipulatur sententiae ⁶⁾, tamen non sibi constitit in adscribendis eis locis; quod cur facere noluerit, eo magis

¹⁾ Dissertat. inaugural. Gryphisw. 1882.

²⁾ Praefat. edit. Servian. vol. I^o 1 sqq.

³⁾ Essai sur Servius p. 44 sqq.

⁴⁾ Die antike Aeneaskritik p. 9 sqq; qui liber cum multum lucis hisce veterum studiis attulit, tum haud neglegendus est omnibus, qui nostris temporibus Vergilio ipsi interpretando dant operam.

⁵⁾ p. 167 sqq. 'alterations de notre vulgate'.

⁶⁾ Miratus sum, quod vir ille doctus mihi obiecit me non legisse, quod ipse exposuisset praef. vol. I^o p. 45 Quid, ex eis, quae ille dixit p. 14, etiamsi Servianus commentarius, qui hodie in vulgatis libris exstet, olim plenior fuerit — quem locum ipse citaveram — nonne iure quodam collegeram ei rem non prorsus videri certam, quamquam probe sciebam eum certius ferre indicium loco posteriore? Oblata occasione moneo, quod dixeram in praefatione dissertationis meae, Thilonem praecipue usum esse quibusdam argumentis, ut demonstraret additamenta non profecta esse a Servio, quod displicuit Thiloni, cum aliis argumentis maiorem tribuat vim, ita intellegi me voluisse, ut mihi quidem ea argumenta praecipue apta ad illud demonstrandum viderentur. Sed nolo multus esse in verbis, cum consentiamus in re; quare omitto respondere ad tertium illud, in quo me erravisse dicit de ipsius annotatione ad Aen. 2, 632.

mihī mirum fuisse fateor, quia ad Servii interpretationem versus Aen. VI 545 ‚explebo numerum] ut diximus supra, explebo est minuat haec adnotavit: ‚ceterum Servius in superiore commentario nihil de hac re dixit.‘ Quam ob rem cum verendum sit, ne commentarium Servianum legentibus suspicio oriat̄ur, ubicunq̄ue Thilo locum superiorem non adscripserit, non inveniri id scholion in libris nostris neque certam esse rem indubitatāmq̄ue de textu Serviano non mutilato, e re mihi videbatur esse omnes locos congerere, in quibus Servius iam supra se aliquid explicasse dicat, quos quidem Thilo in editione sua omiserit adicere. Neglectis autem eis, ubi ipsum Vergilii versum Servius addidit, ad quem interpretandum ea superius adscripsit, hos mihi enotavi ¹⁾:

Aen. I, 19 Duc̄i] ductam iri, infinitivi modi a passivo tempus praesens pro futuro posuit, verbum pro verbo, ut supra ostensum est = Aen. I, 4 haec varietas . . . invenitur etiam in aliis partibus orationis, ut sit adverbium pro adverbio . . . et in participio . . . et in nomine. ²⁾

Aen. I, 37 Haec secum] . . . et hoc fictum est, ut superius diximus; unde enim hoc sciret poeta? = praefat. p. 4 . . . heroicum . . . continens vera cum fictis . . .

Aen. I, 56. Celsa arce] secundum quod superius diximus. venti enim melius deprehenduntur ex alto. = I, 54 ac vinculis et carcere frenat] translatio est per poeticam licentiam facta (cf. etiam ad vers. 52 adnotata).

Aen. I, 76 Aeolus haec] subaudis ‚dixit‘, quod ex posterioribus intellegitur, ut supra notavimus = Aen. I, 37 haec secum] subaudimus ‚locuta est‘; deest enim.

Aen. I, 99 Saevus] magnus, ut superius diximus. = Aen. I, 4 saevae] . . . nescientes quod saevam dicebant veteres magnam.

Aen. I, 175 Succēpit] pro suscepit, ut supra diximus. = Aen. I, 144 item nos dicimus suscep̄i, illi dicebant succēpi.

Aen. I, 181 Si quem] . . . aut certe ‚quem‘ vacat, ut superius diximus istas frequenter vacare particulas. = Aen. I, 18 Si qua] qua vacat et est ornatus causa positum ut ‚que‘, ‚tandem‘, ‚gentium‘ . . .

Aen. I, 190] Cornibus arboreis] aut . . . aut certe secundum supra dictam figuram ‚cornibus arboreis‘ pro ‚cornuum arboreorum‘ = Aen. I, 95 Pulchra prole] notanda figura; frequenter enim hac utitur, nam quod nos per genetivum singularem dicimus, antiqui per septimum dicebant.

Aen. I, 206 Illic fas . . .] figura etiam ante dicta, qua per contrarium aliquid intelligimus. dicendo enim ‚fas‘ ostendit alibi nefas. = Aen. I, 77 Fas est] figura est litotes, quae fit quotiescunq̄ue . . . plus significamus per contrarium intellegentes.

Aen. I, 231 Meus] subaudis filius, ut Aiācis Oili, ut ante diximus = Aen. I, 41 Oili] . . . et est graeca figura, si dicamus ‚Aeneas Anchisae‘ et subaudiamus filius.

Aen. I, 245 Subridens] laetum ostendit Jovem . . . poetarum enim est elementorum habitum dare numinibus, ut supra de Neptuno dictum est. = Aen. I, 142 Placat] sub poetica licentia physicam tangit rationem. mare enim dicitur esse Neptunus, quem superius dixit graviter commotum, quia tempestas est; nunc . . .

Aen. I, 373 Gente sub Hectorea] id est Troiana . . . diximus superius nomina poetas ex vicino usurpare = Aen. I, 235 . . . quia solent poetae nomina de vicinis provinciis vel personis usurpare.

Aen. I, 286 Nascetur] . . . et omnis poetae intentio, ut in qualitate carminis diximus, ad

¹⁾ Sicut in praecedentibus iam se quaedam exposuisse dicit noster, ita etiam in sequentibus se indicaturum promittit, veluti Aen. II, 506—507; quos locos ex scribere supersedi, cum non parvi momenti videantur esse ad rem solvendam.

²⁾ Primo statim loco, quod saepius licebit animadvertere, Servium in delegando parum accurate se gessisse apparet, si quidem illud ‚ut supra ostensum est‘ — quod omissum est ab codice K et C — ab ipso est additum, quod dubium ea quoque de causa, quia non solet uti ista dicendi formula.

laudem tendit Augusti. = praef. Aen. p. 4 . . intentio Vergilii haec est . . et Augustum laudare a parentibus.

Aen. I, 292 Remo cum fratre . .] multi sic intellegere volunt ut superius diximus, quia post pestilentiam ad placandos fratris manes geminis omnibus usus est Romulus = Aen. I, 276 Remo scilicet interempto, post cuius mortem natam constat pestilentiam; unde consulta oracula dixerunt placandos esse e. q. s.

Aen. I, 294 Furor impius intus] ut superius diximus propter bella civilia . . = v. 291 quo tempore pax quidem fuit, quantum ad exteras pertinet gentes, sed bella flagravere civilia, quod et ipse . . tangit dicens 'Furor impius intus'.

Aen. I, 301 Remigio alarum] translatio reciproca, ut supra diximus, = Aen. I, 224 Velivolam] . . et est ista reciproca translatio navium et avium.

Aen. I, 304 In Teucros] pro Teucris, ut diximus = Aen. I, 231 In te] modo . . . alibi, pro significat, ut . . . in Teucros . . pro Teucris.

Aen. I, 307 Quas vento accerserit oras] diximus superius figuram fieri, cum praepositio detracta nomini verbo copulatur = Aen. I, 147 . . figura est; quod enim nos dicimus per praepositionem nomini copulatam sequente verbo, antiqui e. q. s.

Aen. I, 312 Achate] diximus quaeri, cur Achates Aeneae sit comes. = Aen. I, 188 Corripuit] . . aut ab Achate, ut eum secutum esse per silentium intellegamus. Gerebat] aut tuus, aut quae gerere consueverat. ¹⁾

Aen. I, 313 Bina] . . antiquus mos est, ut supra diximus, bina pro duobus poni, sicut et duplices. = Aen. I, 93 duplices] duas secundum morem antiquum, nam . . . et binos duos et . . .

Aen. I, 314 Media . . silva] . . quia ut superius diximus, Venere in Virgine constituta et misericordes procreantur feminae et viri = Aen. I, 223 illud enim mathematici dicunt Venere in Virgine posita misericordem feminam nasci.

Aen. I, 320 Nuda genu] . . est graeca figura, sed non ea, quam diximus per participium praeteriti temporis et accusativum; haec enim per nomen fit. = Aen. I, 228 oculos suffusa nitentes] . . et est figura, quae fit, quotiens participio praeteriti temporis a passivo iungimus casum accusativum.

Aen. I, 338 Tyrios] . . ut diximus enim nomina de vicino mutantur. = Aen. I, 273, quod supra videas.

Aen. I, 377 Appulit oris] figura supra dicta = A. I, 147 Perlabitur undas] figura est e. q. s.

Aen. I, 444 Juno monstrarat] monstro dederat; et ut supra diximus, tangit historiam. = Aen. I, 443 historia hoc habet, quam more suo Vergilius per transitum tangit.

Aen. I, 461 Sunt . . praemia laudi] ut supra diximus, omnis Aeneae sollicitudo de moribus Afrorum est = Aen. I, 450 Timorem] . . Venus nihil de Afrorum moribus, unde nunc formidat Aeneas.

Aen. I, 471 Tydides] Diomedes. et bene Ulixen celat propter Aeneam ut supra diximus. = Aen. I, 456 sed haec tantum dicit, quae aut Diomedes gessit aut Achilles; per quod excusatur Aeneas, si est a fortibus victus.

Aen. I, 488 Se quoque . . Achivis] aut latenter prodicionem tangit, ut supra diximus. = Aen. I, 242 . . hi enim duo Troiam prodidisse dicuntur secundum Livium.

Aen. I, 506 Subnixa] pro subnisa ut supra diximus = Aen. I, 144 adnixus] antiquum est ut conixus . . dicimus enim adnixus et conixus.

Aen. I, 535 . . sed Jlioneus ista non novit, quae a poeta supra dicta sunt, per musam, ut

¹⁾ cf. etiam Aen. I, 174. Animadvertenda Servii incuria; nam etsi ex eius verbis apparet quaesitum esse de illa re, tamen id ipsum, quod affirmat se dixisse, non addidit.

diximus, cognita. = Aen. I, 8 sane observandum est, ut non in omnibus carminibus numen aliquod invocatur, nisi cum aliquid ultra humanam possibilitatem requirimus e. q. s.

Aen. I, 589 Os humerosque deo similis] . . et est graeca figura, ut diximus supra = Aen. I, 320, quod supra videas.

Aen. I, 626 Teucrorum a stirpe volebat] propter genus maternum, ut supra diximus. = A. I, 619 . . cum eum Laomedon arceret, occisus est et eius filia Hesiona . . unde Teucer natus est.

Aen. I, 666 Tua numina] . . et notandum unum deum plura habere numina, ut supra diximus. ¹⁾ = Aen. I, 8 Quo numine laeso] . . namque Juno multa habet numina.

Aen. I, 682 Nequa ,qua' vacat, ut frequenter diximus. = Aen. I, 181, quod supra videas.

Aen. I, 683 ut supra diximus, artis poeticae est non omnia dicere = Aen. I, 223 . . est autem poetica callophistia non omnia exprimere.

Aen. I, 726 Atria] ut supra diximus, tangit Romanam historiam = Aen. I, 723 mensaeque remotae] licet sub extranea persona, Romanum tamen exsequitur morem.

Aen. I, 729 Quam Belus] primus rex Assyriorum, ut supra diximus. = Aen. I, 642 Per tot . .] a Belo, primo rege Assyriorum.

Aen. II, 9 Praecipitat] pro praecipitatur, verbum pro verbo, ut diximus. = Aen. I, 104 avertit] pro avertitur. et est figura creberrima

Aen. II, 20 Ingenter] ut diximus, epitheto levavit tapinosin. = Aen. I, 118 Gurgite vasto] tapinosis est . . prudenter tamen Vergilius humilitatem sermonis epitheto sublevat.

Aen. II, 158 Fas.] ut supra diximus, omnia diasyrlice loquitur. = Aen. II, 50 et notandum, quia omnis Sinonis oratio diasyrtica est. cf. etiam II, 142.

Aen. II, 513 veterrima] usurpatum est; ergo ut supra diximus, hoc tantum uti, si necesse sit, licet. = Aen. I, 587 de his tantum quae legimus, sunt ponenda; non enim artis sunt sed usurpationis, qua metri causa utuntur poetae. (cf. etiam Aen. I, 451.)

Aen. II, 755 Jpsa silentia] ipsa quae terrere non debent praecipue inter hostes; sed ut diximus, naturalibus tantum cedit = Aen. II, 726 naturalia plus timet, quasi et vir fortis et pius non timet bellicum timorem sed naturalem.

Aen. III, praef. Secundum interrogationem Didonis post insidias Graecorum et casus suorum proprios errores exsequitur, quos pertulit, ordine, ut supra diximus, commutato. = Aen. I, 1 Arma virumque] figura usitata est, ut non eo ordine respondeamus, quo proposuimus; nam prius de erroribus Aeneae dicit, post de bello.

Aen. III, 9 Pater Anchises] ut diximus, servat τὸ πρότερον, ut pater iubeat. = Aen. II, 300 satis religiose locis omnibus quamdiu vivit Anchises, ei universa concedit.

Aen. III, 103 Spes discite vestras] aut quasi senex loquitur (Anchises) aut quia, ut supra diximus, scit se esse moriturum. = Aen. II, 704 Comes ire recuso] tantum ad solatium itineris, quippe moriturus (cf. etiam v. 696 ex fumo autem mors Anchisae, sicut eius oratio insequens indicat) ²⁾

Aen. III, 280 Actia litora] ut supra diximus, propter Augustum hoc dicit, qui illic ludos statuit agonales = Aen. III, 274 Leucatae . .] ibi et templum (sc. Augustus) Actiaco Apollini constituit et ludos . .

Aen. IV, 1 iunctus quoque superioribus est, quod artis esse videtur, ut frequenter diximus . . = Aen. I, 748 arte poetica utitur, ut praemittat aliquid, quo sequens liber videatur esse coniunctus, quod in omnibus servat. (cf. Aen. III, 1.)

¹⁾ ,de Junone' ab interpolatore Servianis additum ostendit iam ab hoc cognitum esse, quam neglegenter Servius dixerit.

²⁾ Non intellego, qua causa ductus Thilo Serviana referri iubeat ad Aen. II, 687; ubi in scholiis Daniefinis haec exstant: ,At pater Anchises] et hic et alibi Anchisen divinandi peritum inducit.'

Aen. IV, 234 Ascanione] propter illud, quod frequenter diximus, ipsi imperium deberi = Aen. I, 267 prudenter exitum Aeneae et ostendit et tacuit dicendo filium postea regnaturum.

Aen. IV, 459 Festa fronde] sane hoc loco latenter quam supra diximus tangit historiam; nam si amabat Aeneam, utique non coleret extinctum maritum = Aen. IV, 36 Despectus Jarbas] . . ut habet historia . . Carthagini bellum intulit, cuius timore cum cogeretur a civibus, petivit, ut ante placaret manes mariti et exaedificata pyra se in ignem praecipitavit. e. q. s.

Aen. IV, 518 In veste recincta] quia ut supra diximus, in sacris nihil solet esse religatum. = Aen. II, 134 . . nam piaculum est in sacrificio aliquid esse religatum.

Aen. IV, 577 . . sed potest et hoc loco, ut diximus, quasi phantasiam facere. = v. 576 phantasia est ad sociorum terrorem.

Aen. IV, 697 ut saepe diximus, secundum sectas loquitur. = Aen. I, 11 et hoc secundum Stoicos dicit; nam Epicurei . . (cf. I, 227).

Aen. V, 45 Frequenter, ut diximus, ad opus suum Vergilius aliqua ex historia derivat. = Aen. III, 566 de historia, ut supra diximus, hoc traxit . .

Aen. V, 95 Geniumve loci] quia, ut diximus, nullus locus sine genio est. = Aen. V, 85 loci genium per magnitudinem vult probare; nullus enim locus sine genio.

Aen. V, 493 Quem modo] id est nuper; nam ut supra diximus, victor fuit duorum. = Aen. V, 245 Victorem] primum subaudis; nam et illi duo victores sunt Sergesti; unde paullo post habes 'Quem modo'.

Aen. V, 561 Ductores pueri] hic quidam distinguunt, ut diximus supra. = v. 553 aut certe secundum quosdam sequenti distinctione mutata magistros pueros dicit.

Aen. VII, 1 Ut et in principio diximus, in duas partes hoc opus divisum est. = Aen. I, Arma vicunque] . . prius de erroribus Aeneae dicit, post de bello.

Aen. VII, 517 nam ut diximus, vox furiae paulatim processit. = v. 515 et notandum, quia vocem eius paulatim facit procedere.

Aen. VII, 794 Argivaque pubes] et hoc ad generis, ut supra diximus, pertinet probationem. = v. 791 Argumentum] aut . . . aut re vera argumentum, quo se Graecum probare cupiebat.

Aen. VIII, 671 bene inter inferos et superos mare factum dicit, quod ut supra diximus, nos ab antipodis dividit, qui inferi sunt nostri comparatione = Aen. VI, 532 . . alii altius intellegunt; qui sub terra inferos volunt secundum chorographos et geometras, qui dicunt terram *σφαίροειδῆ* esse, quae aqua et aere sustentatur . . quod si est, ad antipodas potest navigatione perveniri, qui quantum ad nos spectat, inferi sunt. ¹⁾

Aen. VIII, 686 Victor . .] quia vicerat Parthos, ut diximus. = Aen. VII, 678 sed Antonius . . . contra Parthos . . quibus victis . .

Aen. IX, 360 Remulo, quem supra avo cognominem diximus = v. 358 Remulus moriens nepoti suo cognomini haec reliquit (cf. v. 361).

Aen. X, 92 Spartam expugnavit] hoc de historia est, ut diximus = v. 91 legitur in historiis, quod Troiani cum Graecis . . (cf. etiam Aen. 485 et 484).

Aen. X, 675 nam quod ait supra 'medie fert aequore', ut diximus 'ad medium' accipiendum est. = v. 665 Medio] ad medium.

Aen. XI, 351 Deinde diximus Drancem librare se ad orationem Latini = Aen. XI, 343 callide et oratorie agit et in omnibus adulatoria respondet dictis Latini.

Aen. XI, 773 Spicula torquebat Lycio Gortynia cornu] Cretenses sagittas Lycio arcu dirigebat ;

¹⁾ Nemini, opinor, dubium erit, quin haec sit adnotatio, ad quam respicit Servius, non ea, quam Thilo adscripsit Aen. VII 226 Plagarum quattuor] audierunt etiam illi, qui separantur zona ea, quae est in medio quattuor, id est fervens, significat autem antipodas.

quod etiam, ut supra diximus, ad ornatum poni consuevit. = Aen. VII, 813 . . ea enim sexus uterque miratur, quae . . ut mirentur feminae arma in muliere, viri ornatum in bellatrice. Quibus adiungendum schol. v. 816 Lyciam pharetram] quasi Lyciam, ut legimus ‚Cretenses sagittas‘. ¹⁾

Buc. I, 28 nam, ut diximus, XXVIII annorum scripsit bucolica = praef. buc. (p. 3, 26 Th.) sane sciendum Vergilium XXVIII annorum . . .

Buc. II, 58 quomodo eum dicit discedere, quem supra eum eo diximus non fuisse? nam ait ‚solus montibus et silvis‘ = buc. II, 5 Iani] pro ‚nihil sibi procurans contra absentem loquebatur‘.

Buc. III, 20 refutandae enim sunt allegoriae in bucolico carmine, nisi eum, ut supra diximus, ex aliqua agrorum perditorum necessitate descendunt. = praef. (p. 2, 17 Th.) intentio poetae haec est, ut . . et aliquibus locis per allegoriam agat gratias Augusto vel aliis nobilibus, quorum favore amissum agrum recepit.

Georg. I, 42 nam ut diximus, Augustus vivus divinos honores emeruit. = Georg. I, 24 nam cum omnes imperatores . . . Augustus vivus divinos honores emeruit.

Georg. I, 208 nam ut saepe diximus, obliqui casus numeri singularis a nominativo plurali maiores esse non debent. = Aen. I, 156 ratio artis antiquae, quia omnis nominativus pluralis regit genetivum singularem et isosyllabus esse debet; item a genetivo e. q. s. (cf. Aen. XII, 511).

Georg. I, 217 nam nullus dubitat Martio mense, ut supra diximus, annum inchoare. = Gr. I, 43 novum ver ideo ait, quia anni initium mensis est Martius.

Georg. I, 278 ut saepe diximus, καὶ εὐφροσύνην Eumenides vocantur. = Aen. VI, 250 Eumenides vocantur κατὰ ἀντίφρασην, cum sint immites. (cf. Aen. 376. III, 63).

Georg. I, 391 medius enim in his libris est stilus, sicut diximus supra. = praef. bucol. (p. 2, 2 Th.) nam in Aeneide . . . in georgicis medium.

Georg. I, 461 Quid cogitet umidus Auster] id est, in quam se partem inflectat, utrum ad serenitatem an ad pluvias, ut diximus supra = v. 460 Claro aquilone] serenifico, quia est et aubilus, sicut fere omnes venti.

Georg. II, 541 Et iam tempus] . . et plerumque volunt ideo eum dixisse hoc loco carmini georgico finem se esse facturum, quod duo sequentes libri pastorales sunt, non georgici, ut . . . memoravimus. = praef. (p. 129, 1. Th.) male autem quidam georgicorum duos tantum esse adserunt libros . .

Georg. IV, 153 quod ideo fingitur, quia Saturnus, ut diximus, temporum deus est, quae in se revolvuntur in aeternum. = Aen. III, 104 ut autem fingatur Saturnus . . . dicitur deus esse aeternitatis et saeculorum; saecula autem annos ex se natos in se revolvunt.

Hi fere sunt loci, in quibus quae adfirmet Servius se superius enarrasse, inveniri in antecedentibus apertum est; restant tamen nonnulli, de quibus quid sit iudicandum, liceat dubitare. Nam quod iam supra monuimus, videri Servium in delegando saepius nimis negligentem se praebuisse, cum quae supra se exposuisse dicat, non ad verbum legantur in superioribus, idem cadere suspicor in hunc locum: Aen. VIII, 547 Qui sese in bella sequantur] in expeditionem et bellicam praeparationem; nam ut supra diximus, bellum est tempus omne, quo vel praeparatur aliquid pugnae necessarium . . . proelium autem dicitur conflictus ipse bellorum e. q. s. Adnotavit enim Servius ad Aen. I, 545 ‚Bello maior et armis] non est iteratio; nam bellum et consilium habet, arma tantum in actu ipso sunt.‘ ²⁾ Maior autem occurrit difficultas hisce duobus locis: Aen. VI, 359 ‚Gens crudelis] . . ergo

¹⁾ Profiteor nescire me, ubi ‚Cretenses sagittas‘ — si omnino est Vergili — in hoc legatur, suspicari autem illud exemplum deberi Servii negligentiae. Parem negligentiam commisit noster, ut exemplum addam, in ipsius poetae verbis Aen. I, 6 ‚veteresque Latini‘ ubi Thilo haec ‚Servium memoria fefellit.‘ (cf. etiam II, 408.)

²⁾ Non igitur mihi persuaserunt, qui censent schol. Danielinum Aen. I, 456 tribuendum esse Servio ipsi.

anticipatio est, quae ut supra diximus, si ex poetae persona fiat, tolerabilis est. Compertum enim habemus e Gellio (noct. att. X, 16) ab Hygino Vergilium esse reprehensum, quod Aeneam portum Velinum requirentem fecisset, cum nomen illud eo tempore nusquam gentium fuisset. „Neque simile“ inquit (Hyginus), illud videri debet, quod est in primo carmine „Italiam fato profugus Laviniaque venit litora“ et aequae in sexto libro „Chalcidicaque . . . arce“, quoniam poetae ipsi quaedam *κατὰ πρόληψιν* historiae dicere ex sua persona concedi solet, quae facta ipse postea scire potuit, sicut Vergilius scivit de Lavinio oppido et de colonia Chalcidensi. Quamquam enim saepius de prolepsi ex poetae persona loquitur, veluti Aen. I, 421 „Quondam] hoc ad poetam; nec enim hoc novit Aeneas“ et Aen. I, 2 „quamvis quidam superfluo esse prolepsin velint“ saepius, tamen diserte nusquam addit, quod ex Hygino discimus, poetae concedi id solitum et tolerabilem esse eam anticipationum. Neque tamen mihi persuasi ideo lacunam in textu Servians esse statuendam; immo, quod, cum Aeneidem in schola enarrabat, sine dubio addebat eam prolepsin tolerabilem esse, id omisisse videtur in commentario parum accurate conscripto. Prorsus idem iudico de loco illo praefat. bucol. p. 3, 28 Th. et dicit Donatus, quod etiam in poetae memoravimus vita, in scribendis carminibus naturalem ordinem secutum esse Vergilium quae frustra quaeres in vita Vergilii Aeneidi praemissa. Quid, quod eandem negligentiam noster commisit Aen. VI, 645, ubi de Orpheo loquitur, ipse etiam homines e feris et duris composuit, unde dicitur arbores et saxa movisse, ut diximus supra. Superius enim (cf. v. 119 et 459) Orpheus quidem mentionem fecerat, sed de motis ab eo arboribus saxisque nihil legitur. Itemque Aen. VIII, 291 „ut supra diximus, Troiam Hercules evertit propter negatos sibi a Laomedonte equos“ aperte Servii indiligentia deprehenditur; nam ut habet fabula, Aen. I, 619 narrat „Herculem . . . navibus Troiam venisse; a cuius portu cum eum Laomedon arceret, occisus est“ (cf. etiam Aen. VIII, 157.) Denique unus superest locus ¹⁾ Aen. VI, 545 „Explebo numerum] ut diximus supra, explebo est minuam; nam ait Ennius“ e. q. s., quae sicut recte Thilo ad hunc locum monuit, in superiore commentario non exposuit Servius; quod utrum ipsius incuriae an librariorum culpa sit tribuendum, difficile est diiudicatu; nam sane e Nonio Marcello p. 298, 13 intelligimus significationes verbi „explere“ collectas ipsumque nostrum locum Vergilianum in eis enumeratum esse. Haec autem grammaticorum studia de verborum significato ab interpretibus Vergilii libenter arrepta et in usum conversa, quis est qui neget? Quamquam quid multa haec de re? cum etiamsi hanc lacunam librariorum peccato quam Servii ipsius indiligentiae adscribere malis, ex uno hoc loco deperdito ²⁾ prae tot aliis adeo non sequatur textum Servii esse mutilatum, ut contra mirandum sit, quam bene sit servatus.

At, dicit quis, vereor ut omnibus persuadeas, quae de Servii negligentia disputavisti, nisi attuleris argumenta ad persuadendam aptiora; quae non desunt. Nam quod quibusdam locis, in quibus Servius Romanorum scriptorum testimonia adfert, Thilo adnotavit, errasse eum (velut ad Aen. VI, 43, „Nam Vitruvius, qui de architectonica scripsit, ostium dicit per quod ab aliquo arcemur ingressu, ab obstando dictum“ haec adscripsit: „falso Servius . . . Vitruvio tribuit) idem cum de aliis Romanorum scriptoribus tum de Graecorum possis probare. Quid enim iudicabis de talibus locis, quales sunt Aen. II, 81, „ . . . nam Palamedes, ut Apollonius dicit, septimo gradu a Belo originem ducens cum dilectum per Graeciam ageret“ e. q. s., de quibus Apollonius nihil (cf. Argou. I, 136), aut Aen. II, 35 „At Capys] . . . et bene nec se nec patrem huic consilio dicit interfuisse, per quod interitus patriae imminabat, quamquam Aeneas quasi obtrectator Priami non adsit, ut Homerus dicit, Anchises vero propter caecitatem, ut docet Theocritus?“ Missum nunc faciamus Homerum, quid tibi videtur de Theocrito,

¹⁾ Nam Aen. V, 823 „ut supra diximus, Glaucus piscator fuit“ iure dubitandum, num ab ipso Servio illud „ut s. d.“ additum; cf. Thilonis adnotat. crit.

²⁾ Valde dubito de eis, quae Georgii in libro supra laudato p. 17 decurtata indicat, quod saepissime Servius tam breviter adnotare satis habet, ut paene obscura sit eius oratio.

quem testem Servius exhibet caecitatis Anchisae? quam pluribus verbis exponit Aen II, 687 [Oculos ad sidera] contra opinionem Theocriti, qui eum fulmine caecatum fuisse commemorat, quibuscum coniungendum scholion ad Aen. II, 649 [Fulminis adflavit] . . fulminatus autem est Anchises, quia se cum Venere concubuisse iactabat. Atqui in toto Theocrito de Anchise nihil invenitur nisi hoc:

id. I, 105 εὖ λέγεται τὰν Κύπριν ὁ βονκολος, ἔρπε ποί' Ἰδα
ἔρπε ποί' Ἀγχίον,

quibus Daphnis Venerem ad Anchisen in Ida morantem iubet se conferre.

Quamvis autem hic quoque Servius negligentiae est arguendus, quod Theocritum poetam adfirmat dixisse id, cuius apud illum nec vola nec vestigium, tamen noli propterea invehi in nostrum atrocius. Nam nullus dubito, quin fabula de Anchisae caecitate olim lecta sit in Theocrito — sed in Theocrito commentariis ornato, ex quo fonte hauserunt antiquiores Vergilii interpretes, unde sat neglegenter Servius sua derivavit. Quod ut probemus, sane longius repetenda est oratio.¹⁾

Sicut in condenda arte grammatica Romanos anxie Graecorum vestigia pressisse inter omnes constat, ita eos etiam in commentandis explicandisque scriptorum operibus ad Graecorum interpretum rationem se adplicasse eorumque scrinia compilasse vel inde apparet, quod terminis technicis, qui vocantur, ab illis excogitatis ad exponendas voces ac sententias ita utuntur, ut saepissime ipsa haec graeca vocabula latinae disputationi inserere non vereantur, interdum in sermonem latinum vertant. Cuius generis obiter tantummodo Vergilii interpretes percensenti occurrunt haec²⁾: ἀμφιβολικῶς Serv. Aen. I, 267. per ἀντικατηγορίαν sch. vet. Aen. X, 36. δεικτικῶς Serv. Aen. II, 289. εἰρωνικῶς Serv. Aen. VII, 556. ἐμφατικῶς sch. vet. Aen. IV, 440. ἐξηλλαγμένως sch. vet. Georg. III, 328. ἐδυσμβόλως S. Aen. VIII, 513. καταχρηστικῶς schol. vet. Aen. II, 379. κατὰ τὸ σιωπώμενον S. Aen. VIII, 613. τὸ πρόπον S. Aen. IX, 775. περιφραστικῶς sch. vet. Aen. II, 392. ὑπερβολικῶς S. Aen. VII, 43. Item occurrunt, quae quamquam litteris latinis tradita sunt, graecam tamen formam retinuerunt, veluti haec: allegoricos, anaeriticos, hyperbolicos, lexis polysemos (Aen. IV, 231), quod utrum ipsis scholiorum auctoribus an librariis sit tribuendum, effici nequit. Denique inveniuntur multa, quae ex graecis versa esse apparet, ut: proprie = κυρίως vel ἰδίως, abusive = καταχρηστικῶς, irrisorie = εἰρωνικῶς, alia.

Quod vel hinc sequitur, Graecos interpretes adhibitos esse a Romanis, id iam dubium esse nulli poterit, ubi scholia graeca in Horerum praecipue, Apollonium, Theocritum cum scholiis Vergilianis contulerit. Ad hos enim poetas commentaque in eos conscripta necessitate quadam Maronis interpretes sunt ducti, quod paullo post edita Vergilii carmina data opera a viris doctis nec non indoctis est quaesitum, unde sua hauserit, cuius studii ut in scholiis et Macrobbii Saturnalibus multa sunt argumenta, ita commonefecit Gellius Noct. attic. IX, 9, 3, scite ergo et considerate Vergilius cum aut Homeri aut Hesiodi aut Apollonii aut Parthenii aut Callimachi aut Theocriti aut quorundam aliorum locos effingeret, partim reliquit, alia expressit. Omissis autem aliis, de quibus alio loco disputare mihi proposui, ne fines huius commentarioli exirem, quae ex Theocriteis commentariis mutasse videantur Vergilii interpretes disserere in animo est. Antequam rem ipsam aggrediamur, moneo, ne mireris scholia ex hoc fonte derivata non solum in commentis bucolicorum, quae carmina ad Theocriti imitationem composuit Vergilius, sed etiam in Georgicorum et Aeneidis legi; quae res inde potissimum explicanda, quod vetustiores Servio Maronis interpretes in commentandis eius carminibus a bucolicis, ad quae explicanda in usum vocabant Theocritum, initium sumere soliti sunt.

¹⁾ Pergrato profiteor animo, hanc studiorum viam olim monstrasse de Wilamowitzium, praeceptorem summopere venerandum, adhortantem, ut graeca quoque scholia perscrutarer.

²⁾ Ne longus sim, omitto figuras, metaplasmos-transformationes recti sermonis in alteram speciem-vitia orationis itemque virtutes, tropos, alia, de quibus cf. Diomedis art. gr. p. 440 K. sqq.

Atque primum quidem sicut graeci commentatores Theocriti ¹⁾ ita Romani Vergilii vitam enarraverunt; quam enarratam in scholl. Theocr. sequitur caput *περὶ τῆς εὐρέσεως τῶν βουκολικῶν*. Origo eius poesis triplex a scholiasta traditur: primum narrat bello Persico Spartae die festo Dianae Caryatidis pastores, cum virgines fugissent *διὰ τὴν ἐκ τοῦ πολέμου ταραχὴν*, carmina in honorem deae cecinisse; deinde Orestem ex Tauride portantem simulacrum Dianae apud Rhegium secundum fatum *ἐν ἐπιτὰ ποταμοῖς ἐκ μιᾶς πηγῆς ῥέουσιν ἀπολούσασθαι*, post eum profectum Tyndaridem, ubi incolae deam suis carminibus celebrassent. Postremum haec explicat: *Ὁ δὲ ἀληθὴς λόγος οὕτως. ²⁾ ἐν τοῖς Συρακουσίοις σιάσεώς ποτε γενομένης καὶ πολλῶν πολιτῶν φθαρέντων εἰς ὁμόνοιαν τοῦ πλήθους ποτὲ συνελθόντος ἔδοξεν Ἀρτεμὶς αἰτία γεγονέναι τῆς διαλλαγῆς. οἱ δὲ ἀγροῖκοι δῶρα ἐκόμισαν καὶ τὴν θεὸν γεγηθότες ἀνύμνησαν, ἔπειτα ταῖς ἀγροικικαῖς ᾠδαῖς τόπον ἔδωκαν καὶ συνήθειαν*. Item post expositam poetae vitam commentatores Vergiliani egerunt de origine poesis bucolicae, ut optime testatur Probi commentarius a Keilio (Halle 1848) editus. ³⁾ Et mirum quantum is cum supradictis consentiat. Ipse quoque eandem triplicem agnoscit bucolicorum originem, nisi quod alium ordinem exhibet; ut Theocriti scholiasta primam causam inventorum carminum bucolicorum ponit Dianae Caryatidis diem festum in Laconica a pastoribus celebratum; alteram ipse enarrat eam, quam ille tertiam praebet, tertiam, quam ille alteram; tertiae huic, quae est de Oreste, addit testimonia ex Varrone, Catone, Lucilio de flumine illo Rheginensi. Quoniam singula nunc quidem nolo tractare, quamquam sane digna sunt, in quae accuratius inquiratur, id tantummodo dico, quod nemo dubitabit, totam hanc disputationem haustam esse ex commentario aliquo in Theocritum. ⁴⁾ Neque solum de ipsa origine huius carminum generis agit scholiasta Theocriti, sed describit etiam morem ritumque cantandi: *ἄδειν δὲ φασὶν αὐτοὺς ἄριον ἐξηρημένους θηρίων ἐν ἑαυτῶ τύπους ἔχοντα καὶ πῆραν πανσπερμίας ἀνάπλεων καὶ οἶνον ἐν αἰγείῳ ἀσκά, σπονδὴν νέμοντας τοῖς ὑπαντιῶσι, στέφανόν τε περικεῖσθαι καὶ κέρατα ἐλάφων προκεῖσθαι καὶ μετὰ χειρᾶς ἔχειν λαγωβόλον. τὸν δὲ νικήσαντα λαμβάνειν τὸν τοῦ νενικημένου ἄριον. κάκεινον μὲν ἐπὶ τῆς τῶν Συρακουσίων μένειν πόλεως, τοὺς δὲ νενικημένους εἰς τὰς περιοικίδας χωρεῖν ἀγείροντας ἑαυτοῖς τὰς τροφάς. ἄδειν δὲ καὶ ἄλλα τινὰ παιδιᾶς καὶ γέλωτος ἐχόμενα* e. q. s. (cf. Ahr. p. 5), quibuscum conferas, quae in Probo leguntur p. 2,3 K.: „plurimi pastores confluxerunt cum utribus vino plenis et panibus figuras ferarum vel pecorum referentibus, iique instituerunt, ut ii qui convenerant, laudes deae dicerent certato, qui eas

¹⁾ Scholiorum Theocriteorum haec est ratio, quam docuit Ahrens in praef. vol. II, bucol. Graecor. rell. Lips. 1859: Exstant duo genera scholiorum, alterum recentiorum, Moschopuli, Planudis, Triclinii, quae nos non curamus, alterum vetustiorum, miserrime laceratorum ac mutilatorum (praestantissimi horum codicis Ambros, 222 scholia seorsum edidit Chr. Ziegler Tübingen 1867), quae redire ad redactionem Eratosthenis scholastici aetatis Justinianae vult Ahrensius (p. 34); quod sive verum est sive non verum — nam mihi rem non prorsus indubitatam esse confiteor, id sine dubio constat cum aliorum interpretum frustula tum Theonis, celeberrimi illius grammatici, in nostris scholiis subesse. Idem cum in Apollonii Argonautica commentatus sit, non mirum, quod saepe scholia Theocritea concinunt cum Apollonianis.

²⁾ Scholiorum igitur redactor hanc originem verisimillimam duxit.

³⁾ Rectius mea quidem sententia ei, qui hunc commentarium — quo nomine vix digna est haec scholiorum farrago — Probo prorsus abiudicandum censent, quorum novissimus est Kübler in dissertatione de M. Valerii Probi Berytii commentariis Vergilianis Berl. 1881 conscripta, fecissent, si non profecti essent ex plurimis quidem illis ineptiis, quae nunc leguntur in eo, sed ex vestigiis optima doctrinae, qualem inesse demonstravit Diels in doxogr. gr. p. 90 sq.

⁴⁾ Haec Probiani commentarii praefatio, quamquam et ipsam non intactam traditam esse puto, tamen aliquanto propius accedere ad illum fontem quam vel scholia nostra Theocritea, qui singula percensuerit, haud negabit. Deinde redire hanc disputationem, etiamsi Berytii ipsius eam esse non concedis, ad antiquissimum aliquem Vergilianum commentarium non infitiaberis, ubi comparaveris cum ea ceteras, quas aetas tulit, de poesis bucolicae origine ex commentis Vergil. traditas: Diomedis p. 468 K, Donati p. 741 Hagen, Servii in praef. bucol., Isidori orig. I, 38, 16.

rectius prosequeretur, contenderent autem in ea forma ornati, ut cornua fronti adiuncta taenia obligarent cum utre et reticulo, quo panificia haberent, et qui vicisset, praemium haberet, quodcumque is, qui victus erat, contulisset' e. q. s.

Post expositam poesis bucolicae originem in scholiis Theocriteis sequuntur haec: Πᾶσα ποιησις τρεῖς ἔχει χαρακτῆρας, διηγηματικόν, δραματικόν καὶ μικτόν, τὸ δὲ βουκολικὸν μίγμα ἐστὶ παντὸς εἶδους, unde hausta, quae Probus p. 7, 12 K. exponit: 'Omne carmen in tres characteres dividitur, dramaticon, in quo personae tantummodo loquuntur, diegematicon, in quo solus poeta, μικτόν ubi promiscue et poeta et persona.' Ad eundem hunc fontem retulerim, quae Donatus (p. 742 Hagen) de tribus elocutionum modis explicat, ἰσχνός qui tenuis, μέσος qui moderatus, ἄδρός qui validus intellegitur; credible erit Vergilium, qui in omni genere praevaleat, bucolica ad primum . . . voluisse conferre'. Deinde non dubium est, quin quae Probus p. 6, 33, Tityri et Meliboei personas de Theocrito sumpsit; sed tamen ratio haec nominum est: hircus libyca lingua tityrus appellatur, nam Meliboeus cura boum diligens' quaeque Servius quoque adnotavit (q. 4, 4 Th.) 'etiam hoc sciendum et personas huius operis ex maiore parte nomina de rebus rusticis habere conficta, ut Meliboeus, ὅτι μέλει αὐτῷ τῶν βοῶν . . . et ut Tityrus, nam Laconum lingua tityrus dicitur aries maior, qui gregem anteire consuevit', olim lecta sint in scholiis Theocriteis, quod demonstrat schol. id. III, 2 Ahr. τοὺς τράγους τιτύρους λέγουσι, quibus addenda, quae Zieglerus ex Ambros. edidit: Τιτύρους] . . . ἄλλοι δὲ τοὺς τράγους ἕτεροι δὲ τοὺς Σατύρους et sch. id. VII, 72 Τιτύρους] ὄνομα κύριον. τινὲς δὲ παρὰ Λωριεῦσι τοὺς σατύρους ἀποδεδώκασι λέγεσθαι, quae in scholl. Bernensibus (ed. Hagen) ad ecl. I, 1 sunt servata: 'Tityrus apud veteres Latinos et Graecos intellegitur Satyrus'.

Neque aliunde cur ea carmina potissimum bucolica dicta sint, cum et caprarii et opiliones praeter bubulcos loquentes inducat poeta, de qua re Donatus (p. 741 H): 'Bucolica autem et dici et recte (dici), vel hoc indicio probasse suffecerat, quod eodem nomine apud Theocritum censeantur; verum ratio quoque monstranda est. Tria genera pastorum sunt, quae dignitatem in bucolicis habent . . . honoratissimi et maximi, qui βουκόλοι, quos bubulcos dicimus. Unde igitur magis decuit pastoralis carmini nomen imponi nisi ab eo gradu, qui fere apud pastores excellentissimus invenitur?' et Servius praef. p. 1 'bucolica, ut ferunt, dicta sunt a custodibus boum, id est ἀπὸ τῶν βουκόλων; praecipua enim sunt animalia apud rusticos boves' dicit, sumptum esse apparet ex prolegg. scholl. Theocrit. p. 2 Z. Τὰ δὲ βουκολικά ἔχει διαφορὰν τῆς τῶν ποιημάτων ἐπιγραφῆς. καὶ γὰρ αἰπολικά ἐστὶ καὶ μικτά. τὴν μέντοι ἀπὸ τῶν βοῶν εἴληφεν ἐπιγραφὴν ὡς κραυσιτεύοντος τοῦ ζώου. διὸ καὶ βουκολικά λέγονται πάντα.

Quamquam autem omnia eius generis carmina bucolicorum nomine vel a Theocrito appellata erant vel ab eius editoribus, quod distichon illud collectioni praemissum demonstrat

Βουκολικὰ Μοῖσαι σποράδες ποκά, νῦν δ' ἅμα πᾶσαι
ἐντὶ μιᾶς μάνθρας, ἐντὶ μιᾶς ἀγέλας,

tamen carmina vere bucolica decem Theocriti exstare a grammaticis observatum esse et constat ex Servii adnotatione praef. buc. p. 3, 20 Th. 'sane sciendum septem eclogas esse meras rusticas, quas Theocritus decem habet' et inde, quod ea decem carmina per se videntur edita. ¹⁾ Denique vix opus est monere, observationem illam metricam, etsi hodie in scholl. Theocr. non invenitur, quam Probus (p. 4, 20 K.) adscripsit 'carmen bucolicum legem habere videtur, ut versus eius quartus pes partem orationis finiat, quod Theocritus custodivit; nam (etiam?) Vergilius in primo versu attendit, sequentem

¹⁾ cf. Ahrens. praef. p. 34.

protinus alia forma fecit, quamque non omiserunt reliqui Vergilii interpretes ¹⁾, repetitam esse ex praefatione carminum Theocriteorum.

Attamen hic forsitan dicat quispiam omnia, quae adhuc sint prolata, nihil probare de ipsis commentariis Theocriteis a Romanis exscriptis, cum ea potuerint mutuata esse ex libello quodam de arte poetica aut poesi bucolica. Quod etsi per se improbabile est, ne pluribus redarguam, iam adscribam eos locos, ex quibus apertissime id quod posuimus intellegitur. Ad id. II, 48

Ἴππομανὲς φυτόν ἐστι παρ' Ἀρκάσι . τῷ δ' ἔπι πᾶσαι

Καὶ πῶλοι μαινόνται ἐν ὄρεα καὶ θοαὶ ἵπποι.

hoc scholion est adnotatum: Ἀπλούστερον ὁ Θεόκριτός φησι φυτόν ἵππομανές, οἱ γὰρ περιττοὶ καὶ πολυπράγμονες οὐφασσι φυτόν εἶναι ἀλλὰ τοὺς ἀπυκτομένους πῶλους ἔχειν τι σαρκίον φυτόμενον ἐπὶ τοῦ μετώπου γλοιῶδες, ἐλατιον ἰσχάδος, ὃ καλεῖται ἵππομανές. ἀποτορώγουσι δὲ αὐτὸ καὶ ἀπολείχουσιν εὐθὺς οἱ ἵπποι . καὶ εἰ τοῦτο ποιήσωσι, φιλοσιεργοῦσι τὰ ἔκγονα . εἰ δὲ μὴ, ἀπεχθαίρουσι καὶ οὐ προσέονται . . . ὡς Ἀριστοτέλης καὶ Θεόφραστος. De hoc scholio ita sentit Ahrensius (adnott. p. 484), ultima male adhaerent, quae ex sequente scholio accesserunt, nisi quod Theophrastus temere additus esse videtur propter frequentem cum Aristotele coniunctionem. Verumtamen Theophrasti memoriam in antiquissimis commentariis Theocriteis exstitisse sicut probat codicis Ambrosiani lectio (p. 22 Z.), ita firmatur scholiis Vergilianis, in quibus haec leguntur apud Philargyrium Georg. 3, 280 [hinc demum] ordo: hinc virus lentum ab inguine destillat, quod vero nomine hippomanes dicunt pastores. Vero nomine] quoniam Theocritus herbam dicit nasci in Arcadia, qua gustata equae in libidinem ardescunt. Et Theophrastus carunculam in [fronte equini pulli. ²⁾] Quid? luce nonne clarius est et Theophrasti nomen immerito ab Ahrensi in dubitationem esse vocatam et interpretes Vergilii ex Theocriti hausisse?

Deinde Servianum scholion ad Aen. III, 500, Quodam tempore Syracusani, victores Atheniensium, ceperunt Syracusis ingentem hostium multitudinem et . . . Tunc auctis muris etiam fossa intrinsecus facta est, quae flumine admissa repleta munitiorem redderet civitatem . hanc igitur fossam per hostium poenam et iniuriam factam, Thybrin vocaverunt ἀπὸ τῆς ὕβρεως . . . circa Syracusas autem esse fossam Thybrin nomine Theocritus meminit. (cf. etiam Aen. VIII, 330) redire ad eundem fontem, quod colligendum vel ex addito nomine Theocriti, insuper testatur schol. Theocr. id. I, 118 ubi haec: ὁ Θεάκτιος δὲ φησὶ Συρακοσίων ὀνομάσαι (sc. Θύβριν) ἀπὸ τῆς ὕβρεως. Iam nulla remanebit, opinor, dubitatio, quin etiam Servianae illae adnotationes de caecitate Anchisae supra exscriptae petitae sint ex interpretamento versuum Theocriteorum id. I, 105.

Quoniam igitur evicinus ex iis locis, in quibus ipsius Theocriti profertur nomen, ³⁾ interpretes Vergilianos copiis Theocriteorum esse usos, etiam alia scholia Vergiliana ad hunc fontem revocare audemus. Veluti nullas dubito huc referre, quae de Arethusa fonte Siciliensi copiosius narrantur: Prob. ecl. 10, 1 (p. 25, 12 K.) ,Arethusa fons in Sicilia, a quo musas videtur cognominare, quoniam bucolica carmen Siculum, vel quoniam amoris causa Alpheus, Pisae fluvius, per mare defluens in eum convenit, ad quem locum Servius v. 4. ,Varia enim opinio est: nam alii dicunt, ad Arethusam,

¹⁾ cf. Diomed. p. 495, 15 K. Donat. (p. 744 Hagen), Serv. praef. buc. p. 2,10 Th., cuius disputatio conlata cum Donati ostendit, quanta sit eius negligentia in testimoniis scriptorum adscriptis.

²⁾ Proxus eadem in scholl. addit. Georg. III, 280 occurrunt, ut suspicari possis artissimum esse vinculum inter horum fontem et Philargyrium. Servius ipse ad Aen. IV, 516 Plinium secutus (nat. hist. 8,42) item de carne in fronte pullorum tradit, de Theophrasto autem nihil, sicut ne Plinius quidem. Quae Serv. ad Georg. III, 280 scit lectum apud Hesiodum, herbam esse quandam . . . — quod cave cum Mascivio mutes in ,Theocritum' — iterum demonstrat neque Theocritum a nostro lectum neque antiquissimos commentarios Vergil. inspectos a nostro.

³⁾ Ubi praeter hos locos Theocritus citatur, ipsius poetae verba respiciuntur, quos enotare nihil ad rem nostram.

nympham Siciliae, Alpheum de Elide venire per maria . . ; alii dicunt ipsam Arethusam iam in fontem mutatam Alpheum fugere et de Elide ad Siciliam venire. Graecum autem fontem cum schol. Veron. ad Aen. III, 696 ,Duo ora habere hic fluvius videtur, quorum alterum *στόμα Ἀλφειοῦ*, alterum *στόμα Ἀρεθούσης* innuit, tum dubium id iam esse nequit, ubi cum schol. Theocr. id I, 117 Z. *Ἀρέθουσα κρήνη Σικελική*, *δοκεῖ δὲ αὐτὴ ὑπὸ Ἀλφειοῦ ποταμοῦ πληροῦσθαι . . ἄλλως Ἀρέθουσα κρήνη ἐν Συρακούσαις . φασὶ διὰ πελάγους Ἀλφειὸν ἔκειν . . ὡς φησὶν Ἴβνκος παριστορῶν περὶ τῆς Ὀλυμπίας φιάλης*, contuleris, quae in scholl. Daniel. ad Aen. III, 694 addita sunt ,Arethusa . . quam Alpheus fluvius illuc usque persecutus fonti eius se miscet; quod tali argumento probatur; nam cum equi diebus festis Olympici Jovis certantes in eo amne deluuntur, stercus equorum ex eo amne etiam in Arethusa cognoscitur. patera etiam, quam in Alpheum quidam Olympionices miserat, in Arethusa inventa dicitur et ad ecl. 10, 4. — ,et cum Olympiae hostiae caeduntur, cruor earum in Alpheum infusus in Arethusam exit. Nonne Ibyci de patera testimonium recurrit hic, non luculenter vocabulum ,Olympionices' graecam formam servavit? Equis dubitabit, quin etiam alia testimonia a latino scholiasta addita olim lecta sint in scholl. Theocriteis? ¹⁾

Nec minore cum specie probabilitatis ad eundem fontem revocare mihi videor schol. additic. ecl. VII, 61 ,Populus Alcidae gratissima] quia ea velatus ab inferis rediit, ²⁾ quam Homerus *ἄχερωίδα* dicit, ab Acheronte ad superos translata, qua corona usus duplici colore foliorum geminos labores superiorum inferiorumque testatus est. De hac sane arbore fabula talis est: Leuce, Oceani filia' e. q. s. cum fabula Leuces addita graecum fontem sapiat et similia legantur in scholl. Theocr. id. II, 121 . . φησὶ τὸν Ἡρακλῆα κατελθόντα εἰς Ἄιδον εὐρεῖν παρὰ τῷ Ἀχέροντι φρυομένην τὴν λεύκην καὶ αὐτὴ ἀναστῆσθαι, ἣν Ὀμηρος *ἄχερωίδα* καλεῖ.

Uti per se est exspectandum, in commentariis carminum bucolicorum vix cuiusquam saepius occurrit mentio quam Panis, dei pastoralis; conferas quaeso schol. Theocr. id. I, 3 (p. 6. Z.) τὸν δε Πᾶνα οἱ μὲν φασὶν εἶδόν Πηνελόπης καὶ πάντων τῶν μνηστῆρων καὶ διὰ τοῦτο λέγεσθαι καὶ Πᾶνα . . οἱ δὲ λέγουσιν, ὅτι διὰ τοῦτο Πᾶν καλεῖται, ὅτι τῆς ὥρας ἔσται, σημεῖον δὲ τοῦ παντός, ὃθεν κυρίως προσαγορεύεται Πᾶν. συνοικειοῦται καὶ ἡ μορφή αὐτοῦ τῷ περιέχοντι . καὶ τὸ μὲν τῶν κεράτων ἀπομίμημα ἡλίου καὶ σελήνης μηνίσκου φασὶν εἶναι, τὸ δὲ πάροδαιον ἐνηφθαι τῆς γῆς φαντασίας εἶνεκα, τὰ δὲ κάτω λάσια τῶν τῆς γῆς μερῶν ³⁾ καὶ τῶν ἐν αὐτῇ πεφροκότων . . Ἡλιόδωρος δὲ φησὶ μὴ αὐτόχθονα, εἶδόν ⁴⁾ δὲ Διός e. q. s. ⁵⁾ cum Philargyr. ecl. II, 32 ,Pan i. e. natura omnium rerum, inventor est fistulae. Pan pastoralis deus. per cornu solem significat et lunam, per fistulam septem planetas stellas, per pellem maculosam coeli sidera, per cannam ventos, per ungulas caprinae soliditatem terrae. Hic autem natus est Mercurio in arietem converso ⁶⁾ et Penelope uxore Ulixis. et Probo p. 29, 8 K. ,Sed creditur propter duo argumenta sub eius nomine et vocabulo Jupiter coli, id est runderus, quorum unum est, quod Παν graece significat omne, . . alterum, quod hianli pellis, qua tegitur, varietas maculis imitatur stellas'; denique cum schol. Dan. ad Aen. II, 44,

¹⁾ cf. quae Vergilius ipse de Arethusa dicit Aen. III, 294; si dicas inde suspicionem nasci — quod per se est verisimile — a Vergilio lectum esse Theocritum commentariis ornatum, equidem non refragabor.

²⁾ cf. schol. Aen. V, 134; Serv. Aen. VIII, 276.

³⁾ Ahrens propter Philargyrii, soliditatem terrae' scribit *στερρων*, quod mihi quoque praeplacet.

⁴⁾ correxit Knaackius meus, Ziegler ,τὸν'.

⁵⁾ cf. etiam Ziegler p. 17, v. 123, quibus adiungendum praecipue schol. in Eurip. Rhes. 36.

⁶⁾ cf. schol. Theocr. VII, 107 *ἔτεροι δὲ λέγουσι τὸν Ἐρμῆν εἰς τράγον μεταβληθέντα, καὶ τοῦτον ἐρασθεῖσα ἡ Πηνελόπη . . .*

